

illorum centum aureorum, cum ab ipso fuerint per furtum ablati; ergo &c. Ratio sec. part. est quia id, quod lucrefit negotiando cum pecunia aliena, non est fructus pecuniæ alienæ, quæ de se sterilis est, sed industria, ac laboris ipsius negotiantis, ut optime exemplificat Giribaldus de Restit. cap. 2. dub. 5. adeoque isti debentur. Neque dicas, esse fructum etiam pecuniæ; cum in contractu societatis, in quo unus ponit pecuniam, & alter industram, postremo lucrum æqualiter dividatur: Contra enim; ideo tunc lucrum dividitur, non quia etiam pecunia fuerit fructifera; sed quia qui pecuniam apposuit, & ipse fuit industrius eam dando pro negotiatione facienda, & se exponendo periculo lucri, & damni. Giribaldus ibid. num. 47. Ratio denique tertiae partis est, quia si eo tunc Mercatori emersit aliquid damnum, vel lucrum cessavit, non fuit Eusebius ejusdem causa culpabilis, sed Eusebii Dominus; & si Eusebius ipsi damnum intulit, hoc fuit omnino inadvertenter, & per consequens absque culpa, sine qua non datur obligatio restitutionis, seu refectionis dannorum, ut tradunt DD. comm. in tract. de Restit.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. **F**ortunius ex subita passione, advertenter tamen, impie protulit ista verba: Pueda yo renegar de Dios, si no me vengo: Si Dios me dixesse, que debo perdonar esta injuria que se me ha hecho, le diria, que mienta. O Dios mio! qué cosa peor me podeis hacer? Q. primo, an hæ tres sint blasphemæ hæreticales, ideoque reservatae in hac Diœcesi?

CAS. II. Q. secundo: Quid, si statim ac istas blasphemias protulit, in se reversus penituit, signaque contritionis dedit; teneturne, qui ipsum audierunt, Inquisitori denuntiare?

Resp. ad I. neutram ex his esse blasphemiam hæreticalem, ideoque in hac Diœcesi reservata. Ratio generalis est, quia ad blasphemiam hæreticalem necessario requiritur, quod formaliter, aut virtualiter enuntiet, seu contineat aliquid erroneum in fide; quod plane non verificatur de aliqua ex præfatis propositionibus. Siquidem, quantum attinet ad primam, ac secundam, negari nequit, quod exprimant propensionem quamdam ad enuntiandum aliquid contra fidem, & conditionem quamdam ad id voluntatis tendentiam; hæc tamen non est, sed multum differt à blasphemia hæreticali, ut recte notat Bordonus de Blasphem. cas. 10. Similiter in tertia ad modum interrogantis querit quidem Fortunius, quid deterius facere illi possit Deus; at non negat, posse Deum ipsi quid pejus immittere: ergo proprie non sunt blasphemæ hæreticales, per consequens nec reservatae in hac Diœcesi. Tamburinus in Decal. cap. 6. §. 4. & alii. Hinc inferes, quod Fortunius per hoc denuntiandus non sit Inquisitori ut Blasphemus hæreticalis, maxime si in se reversus, statim penituit, signaque contritionis dedit. Monent tamen Del-bene, Bordonus, & alii, quod si Fortunius esset ex iis, quorum vita malemorata, & sic loquendi frequentia, non sanæ fidei suspicionem ingerit, tunc, tamquam de hæresi suspectus, esset Inquisitori denuntiandus, non obstante illa exteriori apparentia retractationis, & peni-

ten-

tentiæ: hæc enim sæpe in malemoratis artificiosa sunt. Ex quo habes responsonem ad secundum.

CAS. III. Parentes Beneficiati defuncti tempore messis, celant ejus mortem, donec messem fructuum Beneficii pro seipsis recondant. Q. an id licite peragant?

Resp. cum dist. Vel hujusmodi messis jam erat à solo separata cum Beneficiatus obiit; vel non. Si non; dico, parentes illicite id peragere, eo quia illi fructus, qui, obeunte Beneficiato, sunt adhuc pendentes, spectant ad Cameram Apostolicam, & sunt propinæ, quibus ali solent Collectores Spoliorum, quamvis ex iis tradi soleat aliqua portio Successori in Beneficio Parochiali. Si postea jam fuerat à solo separata, dico, quod si Parentes sunt etiam hæredes defuncti, id licite peragunt; nam hujusmodi fructus jam erant proprii ipsius Beneficiati; in cuius jura proinde si succedunt Parentes, legitime quoque ab his reconduntur pro se ipsis; ut non obscure colligitur ex Operæ de Synodo SS. D.N.Benedicti Papæ XIV. lib. 12. cap. 7. num. 3.

ANNO MDCCCLVI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. **T**itius contracto, sed non consummato Matrimonio cum Berta, deliberat Statum Religiosum amplecti. Ast quia dubitat, id à se licite fieri non posse, eo quod Sponsam cognoverit antequam eam duceret; ideo consulit Parochum, an licite id peragere valeat? Quid Patochus respondet?

Respondet, ipsum in casu id licite peragere non posse. Ratio est, quia licet Berta revera meretur linqui à Titio, ob consensum, quem huic ipsa præstitit, ut carnaliter ab eo cognosceretur ante Matrimonium, tamen ab ipso linqui non deberet, eo quia hujusmodi copula præcedens, stantibus sponsalibus antecedentibus, præsumitur concessa, & habita sub conditione, ac intuitu Matrimonii futuri, & quidem intenti cum suo integrō compleemento, vel saltem cum ejus successiva continuatione; prout ipsem Titius concicere facile poterat, tum ex eisdem Sponsalibus jam initis, tum ex quo Berta verisimiliter ipsi numquam indulisset, si nosset futurum, ut ipse à dein contracto conjugio postea resilire tentaret. Quare cum Titius, admissa hujusmodi copula, remanserit Berta obligatus juxta intentionem ipsius, ut inter alios docet Passerinus de Hom. Stat. quæst. 189. art. 3. num. 57. ideo dicendum, quod cum hæc intenderit Matrimonium permanens, ipse quoque quoad hoc eidem manserit obligatus, ideoque quoad personam; & sic nequeat, ipsa invita, Statum Religiosum licite amplecti. Et hoc maxime valet si Sponsa erat virgo, ac fuit ab ipso deflorata; tunc enim emergit nova obligatio manendi in conjugio, quamvis ea foeta non sit; ut nem-

pe

pe eviteatur ejus infamia , quæ ipsi potest , & apta est sequi , si sic dimittatur alteri nuptura ; siquidem etiam dato quod alium Sponsum inveniat , ei- que nubat , adhuc subest periculo , quod ab hoc dignoscatur ejusdem de- fectus , ac propterea male tractetur , dimittatur &c. Unde cum extra ini- tum conjugium , alia via vere tuta non suppetat , ablatæ virginitatis infa- miam , & forte etiam gravius malum ab eadem arcendi , dici debet , non posse Titium in casu Statum Religiosum licite amplecti. Sanchez de Spon- sal. disp. 44. Et Bossius de Effect. Matr. cap. 1. §. 5. num. 99. Nec referit , in cap. Ex publico de Conver. Conjug. Sponsis de praesenti , ante consumma- tionem Matrimonii , concedi bimesis ad deliberandum vel Religionis in- gressum , vel perseverantiam in Matrimonio. Hoc eterim valere adhuc in- tegra , & quando non fuit apposita causa obligans persistere in Conjugio , prout in casu ; quidquid in contrarium dicant Clericatus , Rotarius , aliique.

CAS. II. Orta est dissensio duos inter Doctores , affirmante uno , negante alio , quod possit Parochus valide capere possessionem Beneficii ante expe- ditionem Bullarum , seu Litterarum collationis. Cuinam adhærendum ?

Respondeo cum dist. Vel Beneficium collatum est Parocho à Summo Pontifice ; vel est illi collatum ab Ordinario. Si à S. Pontifice : dico adhæ- rendum esse neganti : si enim Provisus à Papa capiat Beneficii possessionem ante expeditionem , &c. juxta Constitutionem quamdam Julii II. & alias Ex- travagantes , citatas à Bonacina de Leg. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 50. dicitur intrusus , ac violentus possessor , immo impotens facere fructus suos , quin ei pro sit regula Cancellariæ de annuali , vel biennali , vel triennali possessio- ne , & juxta aliam Constitutionem Julii II. incip. Sanctissimus , privatur ipso iure Beneficio obtento , prout , relata Bulla per extensum , notat Lotterius de Re Benefic. lib. 3. q. 19. n. 17. cui consonat Cardinalis de Luca l. 12. p. 1. de Benefic. disc. 131. num. 4. addens , hoc patiter statutum esse per regulas Cancellariæ Apostolicæ. Si postea Beneficium collatum est Parocho ab Or- dinario , dicunt prefati DD. adhærendum esse affirmanti , eo quia quod statutum est circa Beneficia obtenta à S. Pontifice , cautum non invenitur pro Beneficiis , quæ conferuntur per Ordinarium. Verum quoad hæc dixe- rim , attendendam esse præxim , & consuetudinem locorum . Beneficiorum qualitatem , ac fructum , mensem , in quo vacant &c. Siquidem hic Bononiæ si in aliquo ex mensibus Pontificiis vacat ex. gr. Beneficium Curatum libera collationis , excedens in annuis fructibus 24. scuta auri , vigore In- dulti Eminentiss. ac Reverendiss. Archiepiscopo concessi , Beneficiarius ante litteras Apostolicas mittitur in possessionem Beneficii cum litteris pro- visionalibus Archiepiscopi ; fructus tamen interim non percipit ut suos , moneturque ut intra quatuor menses obtineat litteras Apostolicas , novam- que provissionem. Si vero Beneficium non excedit in fructibus predictam sumمام , aut non est liberæ collationis , aut non vacat in mense Pontificio ; tunc unica provisione mandato Archiepiscopi mittitur in possessionem Be- neficii , & fructum.

CAS. III. Vix acceptaverat Sergius Parochiale Beneficium , legitimate ipsi collatum , asitit Matrimonio duorum Parochianorum , quamvis solemniter ab ipso nondum fuisse capta possessio. Q. an tale Matri-

monium , coram eo contractum , sit validum ? Resp. negative , non quia à Sergio nondum capta fuisse solemnis posses- sio Beneficii Parochialis ; hæc enim non est necessaria , ut valide quis assis- tat Matrimonio ; etiam per modum testis principalis , & auctorabilis , uti patet in Oecono Paroeciam administrante ; sed quia , ex consuetudine hujus Civitatis , ac Diœcesis , recenter electo in Parochum nulla competit administratio , nullumque exercitum Curæ , ante apprehensionem posses- sionis Beneficii saltem cum provisionalibus ; nec ullo modo externe habetur ut Parochus , prout constat ex praxi. Hinc , cum talis consuetudo , ubi vi- get , debeat observari , ut ex communis sententia tradit Panormitanus in cap. Transmissam de Elect. & Parochus assistens debeat esse talis externe : eo quia secus ejus testificatio in facie Ecclesie nequit cognosci ut attestatio testis principalis , dici debeat , assistentiam Sergii , in casu præstitam Ma- trimonio duorum Parochianorum prouersus inanem fuisse ; & per conse- quens tale matrimonium , defectu assistentia Parochi legitimæ , esse invali- dum. Cæterum ubi non vigerit dicta consuetudo , sed jus commune , est opinio satis frequens apud Theologos , & Cahonistas , quod Sergius in casu- stante apprehensionem possessionis , possit valide assistere Matrimonio ; quia per acceptionem legitima collationis acquiritur ius in re supra Benes- ficium , ut ex cap. Si tituli absentie. Præben. in 6. non obscure patet ; & ta- le ius non est imperfectum , sed vere perfectum ac completum , uti colligi- tur ex cap. Nostri , & cap. Transmissam de Elect. nec ulibet habetur , aut pro- batur , apprehensionem possessionis requiri ad substantiam actus , sed est profus de solemnitate. Panormitanus in cit. cap. Transmissam , & Anacle- tus lib. 3. Decret. tit. 7. §. 2. & 3.

M E N S E F E B R U A R I I.

CAS. I. Nitit à Cajo sponsalibus de futuro cum Seja , quam prius spe Ma- trimonii defloraverat , veller a sponsalibus resilire , ac aliam du- cere ; at , meru excommunicationis , cum ea contrahat Matrimonium. Q. an hoc sit validum.

Resp. per se validum esse. Ratio est , quia licet Caju illud contrahat ob metum excommunicationis , ideoque ex metu gravi , & quidem et incusso à causa extrinseca libera , nimisrum à Judice Ecclesiastico , ipsi excommuni- cationem minante , ac ex eo fine , ut ipse Matrimonium contrahat cum Se- ja ; tamen hujusmodi metus non est ei incussus injuste , prout opus esset , ut tale Matrimonium esset invalidum ; sed juste , ob strictam obligationem , & quidem ex duplice capite ab ipso voluntarie contractam , ducendi Sejam , nempe , ratione sponsalorum , ac deflorationis ejusdem sub spe Matrimo- nii , ob quam culpabiliter dedit Judici Ecclesiastico causam , ut juste ipsi talen metum incuteret. Cum ergo Matrimonium ex gravi , sed justo me- tu contractum sit validum , uti colligitur ex cap. Ex litteris de sponsal. cum ex eo quod justitia potest ipsum præcipere , & ad ipsum cogere ; ideo &c. Addidi postea in responsione ly per se , eo quia si Seja dein apposuerit causam ratione cuius licuisset Cajo ipsam non ducere , tunc injuste hic fuisse metu

Ex communicationis adactus ad eam ducendam. Propterea cum Matrimonium initum ex gravi metu, injuste incusso à causa extrinseca libera, & ad talem finem, nempe, ut idem Matrimonium contrahatur, ipsum invalidet; ideo in tali casu Matrimonium Caji cum Seja esset invalidum. Bonac. de Impedim. quæst. 3. punct. 8. Girib. & alii comm.

CAS. II. Sempronius Parochus, credens anno proxime elapso quo jam expirasset septennium, pro quo concessa fuerat Plenaria Indulgentia in festo Titularis sua Ecclesiae, curavit ut eadem confirmaretur per aliud septennium; & de facto obtinuit novum Breve, vigore cuius in festo Titularis apposuit tabellam cum solita inscriptione: *Indulgentia plenaria*. Nunc certior factus, quod pro anno præterito adhuc valebat Breve vetus, petit à Vicario Foraneo, an novum Breve valeat pro septem; an vero pro sex tantum annis. Quid respondendum?

Respondendum cum Passerino de Indulg. quæst. 95. n. 720. ac Theodo-
ro à Spit. San. eod. tract. part. 2. cap. 1. §. 3. prædictum novum Breve nec
valere pro septem, neque pro sex annis, sed in casu nihil valere, perinde
ac si non fuisset obtentum. Ratio est, quia cum deest conditio, sub qua
rescripta Apostolica expediuntur, hæc pro subreptitiis habentur, ac proinde
nullius sunt valoris, ac momenti: ut consiat ex regulis Curiae Romanae,
ac notum efficit quotidiana praxis, & experientia. Porro una ex præ-
cipuis conditionibus, cum quibus renovantur hujusmodi Brevia, hæc est.
Dummodo pro tali die, pro qua Breve conceditur, alias concessa non fue-
rit aliqua alia Indulgentia perpetua, vel duratura ad tempus, nondum
elapsum, cum tale Breve conceditur: quæ conditio solet exprimi ipso Bre-
vi cum hac clausula: *Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus, diutam Ecclesi-
iam tali anni die visitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tem-
pus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint.* Sub-
intellige: casu, quo de ea in supplici libello, idest in Memoriali præ-
sentato, facta non fuerit expressa mentio. Atqui præfatum Breve fuit con-
firmatum ad septennium, quando concessa fuerat alia Indulgentia pro tali
die duratura pro eadem die ad tempus, eo tunc nondum elapsum; & de
ea in Memoriali facta non fuerat a Parocho expressa mentio, cum hic puta-
ret expirasse septennium, pro quo hæc fuerat concessa; ergo hujusmodi
Breve habetur pro subreptio, proindeque nullius est valoris, ac momenti,
perinde ac si non fuisset obtentum; ut clarius etiam declaravit, ac exposuit
ipsamet S. Congregatio Indulgentiarum die 23. Junii 1676. cuius Decre-
tum approbavit Innocentius XI. die 18. Martii 1677. ac per extensum re-
fertur à pæfato Theodoro à Spiritu Sancto, siveque de mandato ejusdem
Summi Pontificis, stabilitum pro lege in hac materia ab eadem Sacra Con-
gregatione.

CAS. III. Parochus accersitus ad baptizandum infantem in gravi pericu-
lo constitutum, hunc habuit aqua frigida, qua ei mortem acceleravit. Q. an
sit irregularis?

Resp. neg. Si ex una parte erat periculum in mora, & non erat in promptu
aqua tepida; ex alia Parochus fuit circumspectus in modo abluendi circa
quantitatem, & qualitatem aquæ, nec noceret infanti. Ratio est, quia in hoc

hoc casu, si secuta est infanti acceleratio mortis ex ablutione cum aqua fri-
gida, id est omnino per accidens; cum Parochus nedum id egerit ex necessi-
tate muneri sui, ut scilicet spirituali, ac æternæ ejusdem salutis prospice-
ret, verum etiam adhibuerit omnem possibilem diligentiam, quæ illa in
circumstantia ipsius menti occurrit, ne ullum documentum afferret infanti.
Neque dicas, quod Parochus, stante gravi periculo infantis, poterat,
ac debebat prævidere securam accelerationem mortis ejusdem, sicque po-
tius debebat omittere ejus baptismum, cum non sinu facienda mala ut eve-
niant bona. Contra enim: cum in baptizando infante, modicam, ut sup-
ponimus, adhibuerit aquam, quantum sufficiebat, ut hæc vere fluere, &
sic illum valide baptizaret, obvia certe adeo non erat prævisione accelerationis
mortis; nam ordinarie loquendo hæc non sequitur, quamvis baptismus
sic conferatur, etiam infanti in gravi periculo constituto; & sic jure ac me-
rito hujusmodi acceleratione dicitur casualis, & secuta per accidens. Deinde
etiam demus, quod prævisa fuisse exinde securum: an ne propriea potius
omitendum baptismum? Minime genitum, ajunt Palauis, Laymani, aliquique
Theologi communius; nam sicuti Parochus non solum licite potest, sed
positive tenetur propriam corporalem vitam mortis periculo, exponere ut
baptizet infantem, alias sine baptismate moriturum; prout ex Scriptura,
Sanctis Patribus, ac ratione ostendimus anno 1748. in resp. ad 2. Octo-
bris; ita etiamsi Parochus prævidisset periculum accelerandi mortem infantis
per ejus baptismum cum aqua frigida, nihil mali fecisset, immo pruden-
ter suo munere functus esset, si stante periculo in mora, nec extante in
propterea aqua tepida, dicta cum circumspectione ipsum baptizasset cum
aqua frigida; etenim *Anima præferenda est cæteris rebus*, L. Sancimus §. penul.
C. de Sacr. Eccl. ac salus spiritualis & æterna vita corporati. Hinc cum ir-
regularitas, de qua casus procedit, absque culpa non incurritur, dicendum,
quod Parochus non est irregularis, ut cum Zambrano expresse tradit Diana
part. 1. de Bapt. res. 68. & 70. num. 3.

M E N S E M A R T I I.

CAS. I. Jurandi, se in Carcerem redditum, creditur, & dimittitur. Q.
an possit, immo tenetur fedire, quamvis injusto supplicio
perimendus.

Resp. probabilius videri quod non, secluso Catholicæ Religionis detri-
mento, & scandalo. Ratio est, quia semel ac scit, injusto se suppicio pe-
rimendum, si redeat, idem est, redire in carcerem, ac semel ipsum in-
justæ morti tradere, vel saltem se certæ mortis periculo exponere, & qui-
dem absque ulla legitima causa. Quæ etenim causa cohonestare id potest?
An ne ostensio veracitatis, ac fidelitas, observando promissum custodi
carceris? aut religiosa juramenti executio, quo firmata ab eo fuit promis-
sio feditus? At quis non percipit, etiam Sicarium posse hoc modo cohonestare
homicidium, dicens, se hoc committere ut verax sit, ac fidelis
mandanti, atque ut juramentum observeret, si eo occasionis promissionem
firmavit? Dices, hoc non; quia id est contra legem naturalem, divinam, &

humanam quibus virtus non adversatur; proindeque hujusmodi juramentum non tenere, quippe quod non est vinculum iniquitatis, cap. Quanto de Jurejur. Ast idem quoque ego dico in casu nostro; etenim ipsam natura clamat, quod quisque injustæ mortis periculum eviteret, ac semetipsum conservet. Nec obstat, quod quis teneatur juratam latroni pecuniam tradere, etsi injuste extortam, ut diximus ad Cas. 2. Augusti anno 1748. & patet ex cap. Debitores de Jurejur. Disparitas enim est, quia promittens, utpote pecuniae dominus, licite poterat illam promittere, & dare; ideoque si juramento se obstrinxit ad ipsam latroni tradendam, revera illam ei tradere debet, si ante lapsum termini praefixi non obtinet ab Episcopo relaxationem juramenti. Ab opposito in casu nostro, qui juravit redditum in carcere, non est dominus propriæ vitæ, & sic nequit licite mortis periculo ipsam exponere. Vide Giribaldum de Juram. cap. 2. dub. 2. num. 18. & seq.

CAS. II. Qui rem alienam accepit, ac detinet invito domino, illa identidem uititur. Q. an quories ea uititur, committat novum peccatum, ab injusta detentione distinctum.

Resp. cum distincto. Vel quories ea uititur, novam infert injuriam domino, vel non. Si non, puta, quia per hujusmodi usum non efficit rem deteriorem, nec dominum subjicit majoris damni periculo; dico, ipsum non committere novum peccatum, ab injusta detentione distinctum; siquidem in tali casu usus, & injusta detentio rei censemur ejusdem rationis, ac species moralis, atque unus idemque moraliter actus; siccus non est novum peccatum distinctum in genere moris. Si vero, quories ea uititur, infert novam injuriam domino, puta, quia per usum efficit rem deteriorem, ut evenit in usu vestium, quæ per usum consumuntur; aut subjicit dominum gravioris damni periculo, ut evenit in expensione pecuniae furtivæ, facta a paupere, aliunde non habente quo possit domino satisfacere, qui propterea quanto plus expendit, tanto magis fit impotens restituere domino, tunc dico juxta Cajetan. 2. 2. quæst. 66. art. 3. Navar. Man. c. 17. num. 55. Sotum, & alios, ipsum committere novum peccatum, &c. quia per hujusmodi usum vel res paullatim reducitur ad statum adeo inferiorem, ut dominus cogatur illam amplius non repetere sed preium vice illius vel utens fit impotens restituere domino adæquate; & sic dominus redditur conditionis deterioris, unde fit illi injuria, non illata per simplicem in justam detentio[n]em.

CAS. III. Metuit cum fundamento Vir Militaris, quod si duellum non acceptat, nedum habebitur ut formidolosus, & abjectus, ac pro ipso nulla amplius aderit spes ulterioris, eti promeritæ, promotionis, verum etiam priuabilius officio, quo se suosque sustentat. Q. an in hoc possit acceptare.

Resp. negative, ut aperte patet ex prima quinque propositionum, quas quarto Idus Novembrii anni 1752. In Constitutione incipiente: *Detestabiliter, damnavit Summus Pontifex Benedictus XIV. fel. mem. & est hæc: Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, aliasque sibi debitis, ac pro-*

merita, sed perpetuo carere deberet, culpa, & pena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. Hujus occasione recenseo alias quatuor, cum non adeo facile obviæ sint apud AA. Secunda ergo hæc est: *Excusari posunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandi gratia, duellum acceptantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* Tertia: *non incurrit Ecclesiasticas penas, ab Ecclesia contra duellant[es] lata[re], Dux, vel Officialis militæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, & officii.* Quarta: *Licitum est, in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.* Quinta: *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statu[us] Civitatis male ordinatae, in qua nimis, vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.*

M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. **S**ergius contractis cum Caja sponsalibus de futuro, atraxit Semproniam ad copulam mutua promissione nupiarum. Q. quamnam ex hisducere teneatur.

Resp. quamvis opinio docens, Sergium in casu teneriducere Semproniam, sit valide probabilis, attamen censeo quod, quod si hæc gravida non sit aliisve nota ejus defloratio, adhuc teneaturducere Cajam. Ratio est, quia ex una parte secundæ facta promissio non tenet, cum sit contra justitiam, & in præjudicium tertii. Ex alia, ob deflationem Sempronie postea factam, non debet, nec potest auferri jus à Caja prius vere acquisitum; nec ista in facta hypothesi tenetur tali jure cedere, cum charitas obliget solum ad præcavendum malum proximi, quando id fieri potest sine proprio incommodo, & damno, quod in casu non evenit; amissio enim juris, quæ sibi damnum est, ut ostendit Gonzalez ad reg. 8. Cancel. Neque dicas, actualem traditionem rei conferre majus jus ipsam accipienti, quam conferat promissario simplex promissio ejusdem rei; unde cum Sergius per copulam fecerit Sempronie quamdam anticipatam traditionem sui corporis, potiorem rationem pro ea inde exurgere: eo modo, quo exurget major ratio pro sponsa de præsentu, si sponsus post sponsalia iniret matrimonium cum alia fœmina: ne dicas, inquam; licet enim hæc ratio valeat, quando traditio rei fit cum vera translatione dominij: ut evenit in Matrimonio, in quo contrahens transfert dominium proprii corporis in alterum conjugem; & in actuali traditione rei, in qua venditor transfert ejusdem dominium in emptorem; tamen non valeret, quando dominum non transferitur: sic si quis mihi promittat vendere suum equum, etiamsi illum postea alteri commodet, ego habeo majus jus respectu equi, quam commodarius; licet enim hic possit equo uti, tamen respectu equi commodati nec habet jus in re, nec jus ad rem; ego vere respectu illius habeo jus ad rem. Cum erga Caja ratione sponsalium cum Sergio verum acquisiverit jus ad rem, Sempronia est contra, sive per sponsalia, sive per copulam, nec acquisiverit jus in re, quod solum acquiritur per Matrimonium, nec jus ad rem, eo quia secunda promissio non tenet, utpote contra justitiam, ac de re jam alteri stric-

strictè obligata, ideo dicendum, quod Sergius in casu teneatur ducere Casam, ac Semproniae reficere damna modo possibili; cum duas simul duce-re nequeat. Nec oppositum evincit paritas de eo, qui, post votum Religionis, defloratam sub spe Matrimonii puellam teneatur ducere, non ob-sstante prioritate voti. Nam in primis expresse id negant Navarrus Cons. I. Qui Cler. vel Voven. Laurea tom. 3. in 4. disp. 36. §. 3. num. 182. Sanchez, Layman, Coninchus, Sylvius, Diana, & alii. Et si id con-tendas ex quo obligatio justitiae strictius urgeat, quam illa Religionis, id fal-sum esse inquit cum Eminentissimo de Lugo, & aliis Passerinus de Stat. Hom. quæst. 180. art. 3. num. 60. & 65. Deinde hoc transmittamus ut verum: ex hoc ipso eruitur disparitas. Ideo enim qui voverant Religionem, teneat ducere postea defloratam sub spe Matrimonii, quia in ordine ad Religionem non est obstricto vinculo justitiae, sicuti puellæ, sed vinculo mi-nori, cuius obligatio propterea suspenditur. Et contra Sejus jam erat ob-strictus Cajæ vinculo justitiae, & sic utope jam huic stricte obligatus, non poterat amplius se obligare Semproniae, maxime cum illa, utope prior in tempore, sit etiam potior in jure, V. Notat. 44. Emin. Lambert. postea S. Pont.

CAS. II. Mœvius confidenter dicit amico suo, Julianam Virginem fuisse violatam, quod, an verum sit, iste omni diligentia scrutatur: cumque id verum cognovit, aliis quam pluribus narrat. Q. an Mœvius illa manifesta-tione peccaverit mortaliter? Secundo. An etiam amicus Mœvii reus sit peccati mortalis ob illam inquisitionem.

Resp. ad primum, seclusa rationabili causa id manifestandi, Mœvium probabilius peccasse mortaliter; & quidem etiamsi id non protulerit ex odio, &c. Nec Juliae calunniam impegerit, dummodo ejusdem violatio esset occulta. Ratio est, quia talis relatio lœdit notabiliter famam Juliae penes ta-lem personam, cum aliunde ipsa jus haberet, ut apud eamdem conserva-retur propria fama; ut patet ex dictis anno 1749. ad 2. Augusti. Hinc si-curi mortaliter est reus, qui temerarie judicat in re gravi de alio, quamvis ipse solus judicet, ac tale judicium alteri non manifestet; ita etiam reus mortaliter est Mœvius per hoc, quod confidenter soli amico dixerit, Julianam virginem fuisse violatam; ex quo enim id huic dixerit confidenter, non definit penes hunc famam Juliae esse corruptam, neconon bonam existimationem, quam de eadem prius habebat. Nec refert, quod amicus id statim non omnino crediderit, ut patet ex quo ejusdem veritatem inquirat: nam in primis id est per accidens, cum Mœvius sua relatione fecerit quantum sufficit ad fa-mam Juliae penes eum corrumpendam. Deinde negari non potest, quod ob ta-lem relationem fama, & æstimatio Juliae in animo amici transierit de po-sitive bona in dubiam, & quidem in re graviter ipsam lœdente, utope in ma-teria dishonestatis. Item quod si ipsam Juliae fieret conscientia hujusmodi re-lationis de se facta, ac dubii proprietate orta in amico Mœvii circa ipsius ho-nestatem, rationabiliter gravem exinde mororem conciperet, utope quæ prius, etiam penes hunc, bonam existimationem habebat, eamque deperdi-dit. Cum ergo ex levitate, aut gravitate constitutionis, quæ apta est ra-tionabiliter sequi, inferatur à Theologis gravitas, aut levitas culpa in re-

fe-

ferente alterius crimen occultum; dicendum est, Mœvium in casu renum esse peccati mortalis. Giribaldus in 8. præc. Dec. cap. 1. dub. 2. num. 18. Card. de Lugo, & alii.

Ad 2. responsum, quod si amicus Mœvii diligentem hanc facit inquisi-tionem ex eo præciso fine, ut certo sciat, an Julia vere fuerit violata, idque facit tali cautela, & circumspectione, ut aliis non ingerat dubium, aut suspicionem dishonestatis ejusdem, reus non est peccati mortalis; quia ex una parte, stante notitia, quam aliunde jam habebat quoad substantiam vi-olationis Juliae; & attenta ex alia parte cautela, quam adhibet in inquisi-tione veritatis, ac exclusione finis ulterioris, per hoc non irrogat Juliae gra-vem injuriam; & tale peccatum est meræ curiositatis, in hisce circumstan-tiis levis. Si vero facit hanc diligentem inquisitionem, ut violationem Juliae securius aliis referre poset, sive ut huic securius objiciat gravis notam infamiae, aut ex aliquo alio fine graviter peccaminoso; tunc ex ipsomet objecto patet, ipsum reum esse peccati mortalis. Vide Layman lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5.

CAS. III. Hebræus, vel Turca, Constantinopoli natus, sed iamdiu ha-bitans Centi in Parochia S. Rochi, ibidem instructus in fide, petit Baptismum. Q. an sit baptizandus à Parocho Ecclesiæ Matricis S. Blassi, an vero à Parocho S. Rochi. 2. an talis baptizatus licite promoveri possit ad Ordines, & Beneficia. 3. cujusnam Episcopi hic dici possit subditus ratione ori-ginis.

Resp. ad 1. talem esse baptizandum à Parocho S. Rochi, in cujus Paro-chia iamdiu habitat. Ratio est, quia juxta pluries definitum à Sacra Con-cilii Congregatione, in hujusmodi casibus spectat ad Parochum domicilli conferre baptismum; non autem ad Parochum Ecclesiæ Matricis loci, in quo quis baptizatur: sic anno 1687. contigit casus omnino similis Neapo-li, ac oria controvergia inter Parochum Ecclesiæ Cathedralis, ac Parochum, in cujus Parochia degebatur baptizandus, ad quem ex ipsis pertineret confer-re baptismum, habitus fuit recursus pro dubii definitione ad prædictam S. Congregationem, quæ die 27. Septembri declaravit, spectare ad Paro-chum domicilli, servata forma Ritualis Romani, ut expresse constat ex lib. Decr. 37. fol. 587. idemque confirmavit eadem S. Congregatio die 21. Febr. anni sequentis 1688. ut lib. Decr. 38. fol. 91. annotavit Dom. Joan. Bapt. Argyro Discept. Ecclesiast. lib. 7. discep. 6. n. 10. Quanrum ad 2. dico, talem baptizatum de jure communi posse uirique per se licite promoveri sive ad Ordines, sive ad Beneficia; licet priusquam id fiat, be-ne probari debeat, an in eo sint tum qualitates ad id in aliis requisitæ, cum ea virtus, ac constantia in fide, ut illi manus imponi, atque Eccle-siastica ministeria tufo committi valeant, ut recte admonet fel. mem. Ben-ed. XIV. de Synod. Dicte. lib. 12. c. 1. n. 6. Ratio desumitur ex aperto texu Alex. III. in cap. Eam te de Rescript. ubi in Canonicum eum reci-pi jussit, qui ex Judaismo ad Christianam fidem fuerat conversus, hisce verbis scribens ad Episcopum Tornacensem: Mandatum dedimus, & præcep-tum, ut P. (qui de gente Iudeorum originem duxit, & divina gratia fidem Christi suscepit) in Canonicum reciperent, & præbendam sibi conferre deberent.

Pro